



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Sect. VII. Quædam contra virtuaalem distinctionem objecta solvuntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

SECTIO SEPTIMA.

Quaedam contra virtuales distinctionem objecta solvuntur.

I. **C**ONTRA distinctionem itaque virtuales, à nobis hæcenus statutam ac stabilitam, opponunt recentiores aliqui, nullum ad eam astringendam esse in mysteriis fidei, Scripturâ, aut Conciliis fundamentum: ergo gratis ponitur. Respondetur negando antecedens: imò maximum est ad illam ponendam fundamentum: in primis enim fides docet solum Filium esse incarnatum, sicque unionem in Personalitate Filii immediatè factam esse, non in Naturâ: Deinde Filio productur, Natura non producitur. Præterea Pater dedit Filio Essentiam, non esse Patrem, seu generare, ut vidimus scilicet. quintâ: & alia, quæ sectione præcedente allata sunt, num. sexto, & sectione 3. per totam: quæ meo iudicio aperte probant, distinctionem hanc virtuales in Deo negari non posse.

II. Obijciunt secundò, hinc sequi contradictoria, idem scilicet produci & non produci, communicari & non communicari, &c. Respondetur, hoc argumentum ab omnibus esse solvendum, cum de fide sit, ut vidimus, Essentiam communicari Filio, non esse Patrem, seu generare, & sic de aliis, sæpe jam repetitis. Dico itaque, ut prædicata aliqua sunt contradictoria, cadere debent supra rem, nullo modo multiplicem, seu quæ, non realiter tantum, sed etiam virtualiter sit eadem; si enim sit virtualiter multiplex (qualem ob infinitam suam perfectionem diximus esse Deum) est eminenter seu æquivalenter plures: unde hæc prædicata non cadunt supra rem, omni modo, hoc est, & realiter & virtualiter eandem, sicque hæc & nunc non sunt contradictoria, quamvis respectu rei creatæ & limitatæ essent.

III. Hæc, ut existimo, abundè satisfaciunt objectioni: ut tamen mentem meam hac in parte, ac procedendi modum magis declarem, ad argumentum secundò respondeo distinguendo antecedens: idem producitur & non producitur, communicatur & non communicatur adæquatè, nego antecedens; inadæquatè, concedo: hoc autem est juxta mentem Concilii Florentini supra citati, dicentis Patrem communicare Filio Essentiam, non communicare esse Patrem, seu generare: sicut econtrâ Pater habet Essentiam, non tamen habet esse Filium.

IV. Dices, ergo à parte rei Essentia & Relatio sunt aliquid & aliquid, sicque duæ formalitates, atque ita incidimus in sententiam Scoti, supra impugnata. Contrâ, hoc enim objici similiter posset contra dictum illud Concilii Florentini. Respondeo itaque distinguendo antecedens: Essentia & Relatio à parte rei sunt aliquid & aliquid virtualiter, ac duæ formalitates æquivalenter, concedo antecedens; formaliter, seu actualiter distinctæ, nego. Hæc enim est eminentia Dei, ut unum ens simplicissimum cum sit actu, virtute tamen sit plura, sicque ratione hujus infinitæ virtutis, prædicata in speciem contradictoria admittere potest, perinde ac si Essentia ac Relatio, à parte rei actu à se invicem distinguerentur. Et hanc ob causam, ut in fine sectionis præcedentis notavi, Suarez, Molina & alii hanc distinctionem appellant virtuales ex naturâ rei, quod nimirum idem reipsa præstet quoad prædicationes omnes circa Trinitatem, quod præstat distinctio illa formalis & actualis ex naturâ rei; &

Quo titulo distinctio ex naturâ rei dicitur Theologi.

Hac prædicata non sunt reipsa, sed solum in speciem contradictoria.

Idem producitur, & non producitur inadæquatè.

Essentia & Relatio in Deo sunt aliquid & aliquid virtualiter.

Idem producitur, & non producitur, communicatur & non communicatur.

Idem producitur, & non producitur, communicatur & non communicatur.

Idem producitur, & non producitur, communicatur & non communicatur.

Idem producitur, & non producitur, communicatur & non communicatur.

Idem producitur, & non producitur, communicatur & non communicatur.

Idem producitur, & non producitur, communicatur & non communicatur.

Idem producitur, & non producitur, communicatur & non communicatur.

Idem producitur, & non producitur, communicatur & non communicatur.

Idem producitur, & non producitur, communicatur & non communicatur.

Idem producitur, & non producitur, communicatur & non communicatur.

Idem producitur, & non producitur, communicatur & non communicatur.

Idem producitur, & non producitur, communicatur & non communicatur.

hoc solum vitio vertunt Scotistis Theologi, quod actuales distinctionem inter Essentiam divinam, & Relationes statuunt, cum illa omnia sine distinctione actuali salvari possint.

SECTIO OCTAVA.

Alia nonnulla contra virtuales distinctionem.

OBJICIUNT tertio: hæc distinctio, quam Verbo-tenus vocamus virtuales, reipsa à nobis statuitur realis: produci enim & non produci, communicari & non communicari arguunt distinctionem realem. Contrâ: Concilium Florentinum, ut vidimus, dicit Patrem communicare seu dare Filio Essentiam, non tamen ei dare esse Patrem: item Patres & Theologi aiunt Filiationem produci, Essentiam non produci, & id genus alia, supra posita: ergo hæc secundum Concilium, Patres, & Theologos non arguunt in Deo distinctionem realem, sed solum in rebus finitis ac limitatis; Deus autem, cum, ut dixi, sit virtualiter multiplex, plurium in se virtutem continet, ac proinde denominationes in se oppositas non minus suscipere potest, secundum diversâ virtualiter prædicata, quàm si perfectiones in se complecteretur, realiter inter se distinctas.

Obijciunt quartò Concilium Lateranense, cap. Damianus, ubi ait, non potuisse Patrem dare Filio partem suæ substantiæ, & partem non dare, & rationem addit, *Cum substantia Patris sit indivisibilis, utpote simplex omnino.*

Ad solutionem notandum, loqui illic Concilium contra Joachimum Abbatem, qui Petri Lombardi, Magistri sententiarum opinionem de Trinitate impugnans, aiebat in tribus Personis divinis esse tres Essentias, realiter inter se distinctas, quæ unam quidem facerent Essentiam, non per identitatem, sed per aggregationem, sicut, inquit, multi homines unum populum, & multi fideles unam constituunt Ecclesiam.

Contra hunc ergo capite illo citatè definit Concilium substantiam Dei, seu Essentiam & Naturam, ut ibidem se explicat, esse indivisibilem, & omnino simplicem, nempe realiter, eo scilicet modo eam definiens esse simplicem, quo Joachimus id negabat; juxta communem regulam à Theologis assignatam; ut enim, inquit, sciamus quid à Concilio aliquo, vel Pontifice sit definitum, videre oportet quid iis definiendum fuerit propositum. Sermo itaque hic tantum est de distinctione reali, quod etiam innuit vox illa *partes*: de virtuali autem non omnino loquitur Concilium. Deinde, ut dixi, hæc definitio solum procedit de distinctione Naturæ divinæ in se, non de distinctione illius à Relationibus.

Urgebis: entitas Filii, exempli gratiâ, non est minus quid simplex, quàm Essentia, omnibus tribus Personis communis: ergo si Essentia ratione simplicitatis excludit distinctionem, eam etiam excludet entitas Filii, sicque inter Essentiam & Filiationem non dabitur distinctio. Concedo totum respectu distinctionis, de qua ibi loquitur Concilium, nempe de distinctione reali, hanc namque tam excludit Entitas Filii inter Naturam & Relationem, quàm Essentia excludit in se, quo tamen non obstantè, dari inter Essentiam & Relationem potest distinctio virtualis.

Inftabis:

Produci & non produci non arguunt distinctionem realem.

Hæc prædicata in creaturis tantum, non in Deo sunt contradictoria.

Obijciunt Concilium Lateranense.

Idem producitur, & non producitur, communicatur & non communicatur.

Idem producitur, & non producitur, communicatur & non communicatur.

Entitas Filii excludit in se distinctionem realem.